



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XVII. Non est cuiusuis exercitia S. Ignatij cum fructu tradere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

utilitas. Precor diuinam clementiam, suam nobis lucem ac robur imper-
 tiat ad occupanda ex ipsius nutu quæ nobis credidit talenta, ne quando illa
 percellamur, atroci obiurgatione, Serue piger, sciebas, nec tamen feci-
 sti] manus dedit Miona Ignatio; inde etiam diuino placito, quod in Exer-
 citiis agnouit, seipso effectus melior, Deo sese addixit, vt alios faceret
 meliores, fundata demum Societati adiunxit sese, labores in ea strenuos
 quamdiu spiraret, Domino Deo nauaturus. Nec in eo solum Exercitia hæc
 iuuandis aliis idoneos faciunt, quos aut instituti professio, aut propensio
 animi ad hoc applicuit, quod qui frigidus est, difficile alios incendat; sed
 quod ea id habent proprium, vt diuino igne, & Christi amore animum in-
 flamment; & quidem ita vehementi, vt (quod in Asia scripsimus) gene-
 rosæ illius inter Iaponios Christianitatis, viri iuxta, & fœminæ, vbi-
 que aduersum Christianos tyrannus cruentum intonaret, ad nostros accur-
 rerent, Exercitiorum præsidio armandi, quorum illic famam, incredibilis
 fructus probauerat: quantos inde tollerent spiritus, quantum robur diuini
 amoris ducerent, admirandæ post paulum inter sæuas mortes, & inauditas
 eatenus poenarum barbariem patientia prodebat, atque alacritas: qui verò
 aliquo fungitur ministerio animarum, mirum quantum ex iis, quàm purum
 lumen excipiat ad perfectam æternarum rationum intelligentiam. Vnde lon-
 gè alius de iis sermo, longè diuersa vis, illas audientibus imprimendi, quam
 exscribentium ex libris, vel à se concinnatas velut in scena recitantium: qui
 si volunt quod fingunt, verè factum videri, seipsum fallant necesse est, fin-
 gantque sibi, se esse quos referunt, non autem quod verè sunt. Est hoc
 vsque ad eò certum, vt Mercurianus Societati Præpositus experimentis do-
 ctus continuus, idem idem diceret, vna S. Ignatij Exercitia diligenti, assiduoque
 studio percepta, verbi Dei præconibus, & ductoribus animorum
 pro bibliotheca sufficere; & Foscararius ex S. Dominici Ordine, illorum
 approbator Mutinensi Ecclesiæ datas Episcopus Syluestrum Landinum il-
 luc acciuerit prædicaturum Exercitia primæ hebdomadæ, nihil ad constan-
 tem & solidam commissi sibi populi conuersionem efficacius arbitratus, ratio-
 nibus earum meditationum, si perita manu, vsuque assueta tractarentur,
 qualis erat Landini, qui alibi quoque multis in vrbibus motus ediderat in-
 gentes, non exclamando & vociferando, plerumque inaniter, sed con-
 uersionibus antea desperatis, & mutatione stabili animorum; Deo audien-
 tium mentibus per præconem suum affulgente ad perspiciendos viuendi fi-
 nes, confirmantemque ad eosdem aptis moribus inquirendos.

Illud tamen pro comperto habetur, in Exercitiis cum fructu obeandis
 plurimum posse periti ductoris industriam, nec esse cuiusuis promiscuè id-
 munus. Nam & sanctus Pater ex tam multis suo spiritu imbatus, & scien-
 tissimis rerum diuinarum tam paucos censuit ad Exercitia, suo ex ingenio,
 mentemque tradenda, vt vbi quatuor nominarat, de aliis omnibus sileret.
 Primo loco fuit Petrus Faber; deinde Alfonso Salmeron; tertius Hierony-
 mus Domenechus & quoad primam hebdomadam Franciscus Strada. Diffi-

XVII.

Non est cuiusuis exercitia S. Ignatij cum fructu tradere.

cultatis causa ex eo petitur, quod exercitia, medicina sint ægrotantium animorum, cumque sit horum ut temperatio diuersa, sic intemperies, ita una æqualis, & immutata curatio non potest singulis prodesse. Vnde sapienter, ac peritè vir sanctus quasdam Additionum nomine præfixit regulas, partim exercenti animum, partim Exercitia tradenti. Ac si grandes illas mutationes morum in multis hodie post Exercitia non videmus, quæ primis illis temporibus elucebant (vnde nec facillè nunc fidem inueniunt, uti nec mirabilia effecta musicæ veteris, cuius intercidit character) primaria causa est, quam in schediis Iacobi Mironi viri in Societate grauissimi, scriptam in hæc verba reperimus: [Clarum est quæ dantur, tribuunturque nunc Exercitia, fructus illos præstantes non parere, quorum erat certus primis annis proventus: neque huius rei alia occurrit, magni saltem momenti, ratio quam quod Patris nostri Ignatij præscriptis nequaquam infistitur, bonum enim ex integra causa, & si Additiones aliquot, vel annotationes negligantur, boni iactura fit, quod erat integræ illarum obseruationi alligatum; imo si quid etiam immutetur in Exercitiis tradendis, iam non erunt Ignatij opus, sed diuersi ab eo spiritus, & inuenti; ita enim eæ Additiones, iis, & illis meditationibus intimè inhærent, huic & illi hebdomadæ, ut si aliter vsurpentur, careant suo fructu; multo magis si interferantur meditationes alienæ, aut meditationi cuiuslibet additio qualibet appendatur. Estque peculiaris hic illarum, & proprius regularum vsus, qui potissimum varia Exercitiorum genera modosque secernit.] Hæc Mironus: ex quibus palam fit num Exercitia sancti Ignatij obeant, & possint ex iis innocentior, aut perfectior, ex re aut tepida vitam expectare quam certo spondebat experientia; qui sibi sunt in iis suo arbitrio magistri, aut habent ad hæc pro magistris libellos, quibus quadripartitæ in septenarios quatuor meditationes, vel etiam forma vulgatiore explicantur. Sunt autem nec pauca, nec modi vnus quæ iis regularum Additionibus iniunguntur. Primum ut Exercitia suscepturus, id aggrediatur, magna animi generositate, nec Deo manus arctare audeat, præfigens quatenus duci velit, nec plus ultra; sed sancti Spiritus benefico motui se totum permittat, paratus quocumque vocauerit, mox sequi, *Ecce ad sum.* Hac animi comparatione in cellam subiens in qua se solum cum Deo inueniat; debet extra fores curam rerum fluxarum omnem deponere, quin & ita se totum in eius diei meditationem immergere, ut ne cogitet quidem quid postridie sit meditaturus, nec legat quicquam etsi maxime pium, quod extra propositum præsentis diei videatur. Idque ne dissipatus in varia, ad illud quod præcipuè molitur, obtusior euadat: victus ipse, solitudo, silentium, corporis afflictationes, orandi materiam, per suas quæque hebdomadas prudenti discrimine comitentur. Nocturnæ contemplationis præoccupatus memoriâ decumbat; eandem statim experrectus resumat; vno aut altero passu à precatório cubitali, orandi principium faciat. Ibi apud se totus sub Dei præsentis aspectu se videat eumque humili corporis proclinatione veneretur; & prostratus, aut pronus, stans vel de genibus, aut si quid aliud orantem
magis

magis afficiet, aggrediatur contemplationem; cuius si quod caput vberem venam præbuerit, ex eo cupide effodiat, nec prius ad aliud transeat, donec auidam pietatem inde expleuerit. Si sterilem tædioque arentem, nihil tamen rescindat de spatio meditationi destinato, sui potius, tædiique vincendi gratia tantisper id proferat, in silentio, & spe cœli rorem benignum opperens. Si autem ex aduerso mentis deliciae affluent, & pleno aluce consolatio exundabit, sedulo caueat ne præcipitati voti religione se obliget, ad mutandam præsertim conditionem vitæ, aut aliud perpetuo seruandum. Postremo intimos animi sui motus bonos aut secus ductori enoluat, vt norit quem modum suggerendis iis tenere debeat, quæ præsentī statui conducant, nec timidiori nouum addat terrorem meditationum; nec præfidentia attollat, nimium audentem: non agat metu, qui spe melius, & amore aguntur; & ab corporis sui, & sæculi tabo nondum sat liberis, consideranda non ingerat quæ prouectioribus debentur. Cursum denique naturæ pariter, & gratiæ sic attendat, vt suam operam, personæ, ac tempori prudenter accommodet. Inspectam hactenus per summa capita Exercitiorum S. Ignatij naturam, quæ utilitates consequi soleant, superest saltē ex iis indicandum, quæ apud sui studiosos efficiūt.

Ad hoc mihi conferret plurimum quod Gabriel Lermæus Calvinista consueuerat garrere, & vero etiam prælo dedit, quanquam exitu votis plane contrario quibus stylum infecit, vt de Exercitiis quam absurdissima scriberet. Hic animaduersis conuersionibus hominum absque controuersia sapientum, doctorum, honoribus & nobilitate, omnique alio prærogatiuo iure insignium, quorum multi ab Exercitiis in religiosos strictioris virtutis Ordines transcribi certabant, euentum perosus, & causæ ignarus, stylum stringit in Exercitia non tam satyricum, vt maxime ardebat, quam panegyricum, quod minimè omnium volebat. [Quid hoc, ait, incantamenti est, quæ fascinatio, qua Iesuitæ homines dementant? sua quædam illos extra frequentiam ædium, in conclauia inductos, illic meridiana in nocte luce omni exclusa, profundo mœrore obtuunt, tristiquè horrore consternant. Miseri quos ea sors prehenderit! vt qui olim in antrum Trophonij descendebant; sic dicant hi licet ab ipso limine, lætitiæ ac voluptatibus longum vale. Illuc enim homines ingressi, indidem stipites procedunt, stupidi, amentes, vitæ deliciis funditus mortui, vnisque in posterum lacrymis, & tristitiæ victuri. Iis cauis sepulto, nec datur videre, nec videri, nisi magorum illorum ab aliquo bis illuc quotidie submissa voce, vultu attonito, magica carmina inferente, quæ paucis in carthula lineis infœlici tradit, vt iis apud se assidue versandis grauius fascinetur. Quas vero illic chimæras fingant, quas forment imagines, quæ visa somnient, quis satis enarret? flent, exclamant, irrugiunt; velut iam fumo ignis tartarei morderi sibi oculos sentiant, & anticipatis vrantur flammis. Iurant quotidie se ita victuros, tanquam sub noctem morituri, neque caduca hæc nisi puncto indiuiduo tacturos. Cum autem inde se efferunt quasi syderati mundum hunc intuentur, vt si, nunc primum in eum subirent; intuentur verò non iisdem quibus antea oculis, sed perinde

XVIII.

Effecta Exercitiorum admiranda, eorumque prærium apud homines præstantis virtutis.